



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 128. Victoriarum progressus Ferdinandi Arragonum Regis contra
Mauros.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.

A. C. 1490.

gionis primitias ad uberiores fructum excolleret, in Lusitaniæ portu tres triremes instrui jussit, ac Viros Apostolicos ad sacram expeditionem misit, adjunxitque Ductorem navium Consalvum. Ast pia hæc consilia eventus sefellit; cum enim quilibet officialium hujus classis imperium sibi arrogaret, ingens exorta est dissensio: accessit etiam ad turbatum cumulum pestis violentia, aliorumque morborum injuria, quibus complures depasti perierunt. Christi Sacerdotes, qui mortem effugerant, nil intentatum reliquerant, ut fidem in regno Congregans plantatam stabilirent; ast Rex sese legi de unica uxore servanda subicere recusans, ad sua idola reversus est; Alphonsus vero filius ejus natu major Christi fidem, quam & ipse amplexus est, mira constantia profitebatur.

§. CXXVIII.

*Victoriarum progressus Ferdinandi
Arragonum Regis contra
Mauros.*

*Marian. de
rebus Hisp.
lib. 25.*

Juvenis Granatensium Rex, postquam Ferdinando & Isabellæ Metropolitim dedere recusabat, haud temere urbis suæ obsidionem augurabatur; igitur hostium impetus præstolari summe periculo-

culosum ratus, primus ipse bellicum
 canere decrevit. Ergo El-Pucherren-
 ses, montium ac Lucrinæ vallis popu-
 los ad seditionem concitat, nec impro-
 spero victoriæ auspicio; mox enim Al-
 hendinum & Marcheunam munitissimas
 arces occupabat. Ast Ferdinandus vix
 copias suas in aciem eduxit, cum jam-
 jam omnibus repressis rebellibus, cun-
 ctas nuper a Mauro expugnatas urbes
 recuperaret, Regemque adolescentem,
 ut Granatam sese referret, compelleret.
 Tota, quæ gloriosam hanc expeditio-
 nem interceptit, hieme ingentes armo-
 rum apparatus fiebant ad futuram Gra-
 natensis urbis obsidionem, cui nonnisi
 Anno sequenti datum est initium: In-
 terea vero Innocentius crebras Romæ
 decrevit supplicationes pro impetrando
 Regibus Catholicis felici armorum suc-
 cessu, ipse quoque Pontifex cum in-
 structo supplicantium agmine ad Eccle-
 siam S. Mariæ de populo processit, ibi-
 demque solemniter rem divinam pere-
 git. Burchardus formulam precum, quæ
 hanc in rem concinnabantur, recenset,
 habitaque est in eadem Ecclesia Ora-
 tio panegyrica, ubi Orator in meritas
 Ferdinandi & Isabellæ laudes copiose
 excurrit. Sub idem tempus summus
 Pontifex edita Bulla Abulensi Episcopo
 E e 3 provin-

Sæcul. XV.
 A.C. 1490.

Burch in
 MS. arch.
 Vatic. p. 938.
 lib. Bullar.
 50. p. 271.

Sæcul. XV. provinciam demandabat, ut in subactis
 A.C. 1491. regni Granatensis urbibus Episcopos de-
 signaret, litesque componeret de limiti-
 bus dioecesium, in quibus olim sedes E-
 piscopales institutæ fuerant.

§. CXXIX.

*Gallorum conatus ad impediendas
 nuptias Maximiliani cum Britan-
 niæ Hærede.*

*Naucler. ge-
 ner 50. vol. 2.
 Chron. p. 503* Ergo Maximilianus Romanorum Rex
 cum Anna Britanniae Ducissa, quæ
 Sorore sua etiam fatis functa unica Pa-
 tris sui hæres vita superstes extitit, nu-
 ptias contraxit, quibus compertis Caro-
 lus VIII. Francorum Rex quantocius
 bellum restauravit, suisque copiis præce-
 pit, ut Rhedones, ad quam urbem Du-
 cissa confugerat, obsidione cingerent,
 mox tamen mandatum revocavit; forte
 enim tum Borbonii Ducissa secum animo
 constituebat, inter ipsum Regem & Bri-
 tanniam Hæredem nuptias conciliare,
 hocque pacto, destinatam Maximiliano Bri-
 tanniam simul & Sponsam adimere, licet
 jamjam Matrimonium per Procuratorem
 rite contractum esset. Ad disturban-
 das hæc nuptias Gallos incitaverat
 summa, quam inde speraverant, utilitas;
 huic